In nomine patris et filii et
spiritus sancti Cum desyde-
rarem viris caritatibus
in aliquo deservire · et
id exposuissem venera-
bilibus patribus domino
meo abbati et domino priori
visum est eis expedire ·
ut legam quartum sententiarum propter utili-
tatem materierum que in ipso tractantur
maxime quo ad septem sacramenta
ecclesie · quibus salvator noster sua
gloriosa passione hanc dedit effi-
caciam ut essent quasi septem saluta-
ria medicamenta morborum nostrarum
animarum · per quorum ritum et dignam
ad ministracionem et usum omnipotens
dominus · et peccata dimittit · et graciam
sanctificantem tribuit Et eciam
propter facilitatem materierum earunde-
saltem respectu eorum que in libris pre-
cedentibus continentur Et cum venerabilem
Hugonem in didascalicon
omni christiano philosopho · lectio
exhortacio esse debeat magis
quam occupacio · et debeat in eo bona
desideria non necare · sed pascere ·
et veritatis viam sibi ostendere
et secreta dei alcius intelligens ·
arcius amet · maxime hoc videtur
pertinere ad religiosos · qui se vite
monastice manciparunt Et quibus
cum locutus sum secundum beatum Augustinum
super Iohannem Sermo doctoris mo-
derandus sit secundum capacitatem et ex-
igenciam auditorum · cogitavi in pro-
cessu rescindere methaphisicalia
et philosophicalia et materias
subtiles et ste[…]riles · et que iam
magis curiosas quam fructuosas
et eciam superfluas divisiones et
huiusmodi que difficultatem facere possent
simplicioribus et magis occupare
quam edificare et volo procedere modo faciliori
quo potero et prout materia admittit
que sunt pro tempore tractanda Et quia in
isto quarto sententiarum magister agit principaliter
de sacramentis ecclesie de iudicio finali
de resurrectione mortuorum de pena dampnatorum
et de gloria beatorum et de multis aliis ad
illas principales materias pertinentibus ·
posset iste quartus liber dividi in
multas partes sed videbitur in processu
domino largiente etc.

Super prima distinctione magister trac-
tat de sacramentis in generali ·
propter quod sit questio prima talis
Utrum in quolibet hominum statu
fuerint aliqua sacramenta

Arguo quod non quia per graciam et virtutes ·
peccati vulnera curantur in nobis igitur
non indigemus sacramentis ad istorum
sanacionem · Et quia cum sacramenta secundum Hugonem
de sancto Victore sint instituta ut me-
dicine peccati cum ergo illa sanacio po-
ssit aliunde sufficienter fieri videtur quod
sacramenta essent et fuissent superflua
animabus patet quia propter hoc gracia a sanctis
dicitur sanitas et decor anime Et philosophus
2º ethicorum comparat virtutem sanitati
corporali In oppositum est quod dicit beatus
Augustinus in libro contra Faustum · dicit enim
omnis religio habuit aliqua signa exteri-
ora in quibus conveniebat ad deum co-
lendum Sed omnis status hominum habuit
aliquam religionem · igitur in omni statu
hominum fuerunt aliqua signa et illa dicuntur
et sunt sacramenta ut patebit etc.
Pro declaracione terminorum in titulo questionis
positorum est notandum primo quod duplex